



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. III. Aliæ sententiæ mediæ confutantur,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

§. II.

*Rejiciuntur duæ extremae sententia.*

**D**ico primò : Decretum Dei liberum, in denominatione extrinseca, petita ab actione transeunte, quâ Deus creaturas ad extra produxit, adæquatè non consistere.

16. Probatur conclusio : Primò quia juxta hanc sententiam, non nisi in sensu metaphorico salvatur Deum liberè velle creaturas : Sed hoc repugnat Scripturæ, ut constat ex locis articulo præcedenti relatis : Ergo &c. Sequela Majoris est evidens, externa enim creaturarum productio, non nisi metaphoricè potest dici illarum volitio, & solùm potest esse voluntas signi, non autem beneplaciti : unde juxta hanc sententiam Aureoli, nulla datur in Deo voluntas beneplaciti, sed tantùm signi, quod est contra communem Theologorum sententiam.

17. Secundò, Deus ab æterno dicitur liberè volens creaturas, & tamen actio illa transeunt, quam ponit ista sententia, non fuit ab æterno, sed in tempore : Ergo non denominatur liber ab illa.

18. Tertiò, Deum esse liberè volentem, est denominatio intrinseca : At intrinseca denominatio, ab actione non immanente, sed formaliter transeunte, nequit præstari : Ergo Deus non potest constitui, nec denominari liberè volens creaturas, per actionem formaliter transeuntem, quâ illas ad extra produxit.

19. Quartò, Si hæc sententia Aureoli vera esset, absque ullo inconvenienti posset Deus incipere aliquid velle de novo, cum non sit inconveniens, quòd actio illa transeunt productiva creaturarum, de novo ponatur in tempore : Consequens est falsum, ut constat ex infra dicendis : Ergo & Antecedens.

20. Denique, Si Deum liberè diligere creaturas, nihil aliud esset quàm eas producere, cum potentia ad non producendum, ut docet Aureolus : propositio ista ex Psalmo 113. *Omnia quaecumque voluit fecit*, redderet hunc sensum, omnia quæ fecit, cum posset non facere, fecit, quod est ridiculum. Et ista, *scilicet Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, sic esset exponenda : sic dedit Filium mundo, non daret Filium, quæ est absurda locutio. Denique ista, *salvum me fecit, quoniam voluit me*, sic debet interpretari in sententia Aureoli : salvum me fecit, quoniam salvum me fecit, quæ est nugatoria repetitio.

Dico secundò : Actum liberum Dei non constitui per aliquam perfectionem extensivam, superadditam ad perfectiones necessarias, & ab illis ratione distinctam.

21. Probatur conclusio : Primò quia si actus liber Dei aliquam perfectionem extensivam actui necessario superadderet, Deus posset, vel potuisset habere aliquam perfectionem quam non habet : Sed hoc repugnat actui puro, & summè perfectò, ut constat : Ergo & illud. Sequela Majoris est evidens : nam in Deo potuit esse decretum quod de facto non fuit, v. g. decretum creandi novum mundum, vel assumendi naturam Angelicam : Ergo si actus liber Dei, aliquam perfectionem extensivam actui necessario superaddat, in Deo potuit esse aliqua perfectio extensiva, quæ de facto in illo non est.

22. Secundò, Vel perfectio illa libera & extensiva, est realiter identificata cum entitate divina, vel non ? Si primum, illa non potest entitativè defi-

*Tom. I.*

**A** cere, sed solùm terminativè, & sic hæc opinio coincidet cum communi sententia Thomistarum, infra exponenda. Si secundum, sequitur quòd entitas divina & increata sit in potentia in ordine ad illam, quod repugnat actui puro, & summè perfectò.

Tertiò, In Deo admittenda non est aliqua perfectio imperfectioni admixta : Sed perfectio defectibilis sub ratione entitatis, vel perfectionis, dicit imperfectionem ; nam posse non esse, maxima imperfectio est : Ergo illa non debet in Deo admitti.

**B** Denique, Hoc ipso quòd perfectio illa entitativè sit defectibilis, debet à voluntate divina entitativè distingui, ut constabit ex dicendis §. sequenti, impugnando sententiam Fonseca & Salas : Sed nulla potest in Deo admitti perfectio entitativè distincta ab ejus voluntate, alioquin illam actuaret & periceret, & cum ea realem compositionem efficeret : Ergo non potest admitti in Deo aliqua perfectio, defectibilis sub ratione perfectionis, & entitatis ; licet ( ut infra dicemus ) possit in eo admitti perfectio defectibilis sub ratione puræ terminationis.

§. III.

*Alia sententia mediæ confutatur.*

**I**nter duas sententias extremè oppositas, quas §. præcedenti impugnavimus, duæ versantur mediæ, breviter hic confutandæ ; quarum una videtur affinis opinioni Aureoli, altera verò parùm distans à sententia, quæ à Recentioribus tribuitur Caietano.

Dico ergo tertiò : Decretum Dei liberum non constitui, etiam partialiter, & inadæquatè, per aliquid extrinsecum, nempe per effectus quos Deus ad extra produxit, vel per actionem, & causalitatem per quam illos produxit.

**C** Probatur conclusio ratione fundamentali. Implicat causam adæquatè, vel inadæquatè constitui per suum effectum, cum prius naturâ quàm illum producat, debeat esse completè & adæquatè constituta : Sed creaturæ productæ, & actio productiva illarum, sunt effectus decreti voluntatis divinæ : Deus enim ( ut inquit Apostolus ) operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ : Ergo repugnat liberum Dei decretum, partialiter & inadæquatè constitui, per effectus ad extra productos, vel per actionem productivam illorum.

**D** Confirmatur : In Scriptura creaturæ dicuntur futuræ, quia Deus illas vult : dicitur enim Psal. 113. *Salvum me fecit, quoniam voluit me*. Et Psal. 114. *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit*. Et Apocal. 2. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erunt, & creata sunt* : Ergo volitio Dei libera est causa futuritionis rerum, non verò futuritio rerum, ratio constitutiva ipsius liberæ volitionis.

**E** Dices cum Arrubal, & Granado : Velle Dei liberum non constitui, etiam inadæquatè, per effectus ad extra productos, sed per causalitatem, seu actionem, quâ Deus illos ad extra produxit ; & cum talis actio sit prior creaturis productis, consequens sit quòd volitio Dei libera per eam constituta, illas præcedat, sitque ab eis independens, ac proinde quòd verè affirmetur creaturas esse existentes vel futuras, quia Deus liberè voluit.

Sed contra primò : Non solùm creaturæ, sed

*DD d ij*

etiam causalitas, seu actio externa, quâ illa producuntur, est effectus volitionis liberæ Dei; si semel Deus agit per actionem transeuntem formaliter, ut supponunt illi Authores: Ergo non minus per actionem, quàm per effectum productum, repugnat constitui liberum Dei decretum. Consequentia patet ex dictis, Antecedens autem probatur. De illa etiam causalitate, & actione transeunte, verum est dicere, illam existere, vel futuram esse, quia Deus vult illam esse futuram: Sed non quia vult necessario, aliàs necessario existeret: Ergo quia vult liberè, & consequenter etiam illa causalitas est effectus volitionis liberæ Dei.

30. Secundo, Actio formaliter transiens, per quam Deus in sententia Adversariorum producit creaturas ad extra, non est à voluntate divina immediatè, & tanquam à principio elicente, sed mediatè tantùm, & tanquam à movente, & applicante potentiam executivam ad illam elicendam: Atqui divina voluntas non applicat potentiam exequentem ad productionem creaturarum, ut est amor necessarius, aliàs necessario applicaret; nec ut in actu primo liberè volens, quia ut sic non est applicans, sed potens applicare: Ergo applicat illam ut liberè volens in actu secundo, & consequenter ut volens liberè in actu secundo, ad talem actionem, & causalitatem prius naturâ supponitur, & sic per illam non constituitur.
31. Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio, exemplo voluntatis creatæ. Licet enim illa constituitur formaliter liberè volens, per internam volitionem ab ea elicitam, non tamen per actionem externam ab ipsa imperatam, & à potentia executiva elicitam; quia talis operatio se habet tantùm ut effectus ipsius, & eam supponit prius, saltem naturâ, liberè volentem. Idem proportionaliter dicendum est de voluntate Dei, quia similiter actio transiens ad extra, non comparatur ad illam per modum actionis ab ea elicite; sed per modum effectus ab illa imperati: unde eam prius naturâ supponit liberè volentem, & consequenter liberum Dei decretum, adæquatè constitutum.
32. Confirmatur, & urgetur ampliùs: Quia intellectus divinus directivè ad actum divinæ voluntatis concurrat, nequit in ratione dirigentis, & proponentis actu objectum voluntati, per actum ipsius voluntatis constitui: Ergo pariter, quia divina voluntas applicativè concurrat ad actionem transeuntem potentiæ exequentis, per quam in sententia Adversariorum, Deus ad extra creaturas producit, nequit in ratione liberè applicantis, per talem actionem constitui.
33. Ex his impugnatus manet alter modus dicendi Basilij Legionensis, & Valentini Herice, qui volunt actum Dei liberum, inadæquatè & partialiter constitui per ipsos effectus ad extra productos: si enim per actionem, & causalitatem quâ causantur creaturæ, liberum Dei decretum constitui nequit; à fortiori constitui non poterit per effectus productos, qui posteriores sunt prædictâ causalitate, & qui cum procedant à voluntate Dei libera, eam supponunt ut liberè operantem.
34. Secundo principaliter arguitur, & magis confutatur uterque modus dicendi horum Authorum, iisdem ferè rationibus quibus supra sententiam Aureoli impugnavimus. In primis enim, ut supra arguebamus, decretum liberum creandi

A v.g. mundum, ab æterno convenit Deo, & consequenter ab æterno est in Deo adæquatam illius constitutum: Sed nec effectus causati à Deo, nec actio quâ causantur (supposito quòd illa sit formaliter transiens, ut docent Adversarii) sunt ab æterno: Ergo liberum Dei decretum, neque per effectus ad extra productos, neque per actionem per quam producuntur, constitui potest, etiam inadæquatè & partialiter.

Secundo, Denominatio liberè volentis est Deo intrinseca, ac proinde adæquatè proveniens ab aliqua forma intrinseca, & in Deo existente: Sed nec effectus ad extra producti, nec actio transiens productiva illorum, sunt intra Deum, sed extra: Ergo idem quod prius.

Tertiò, Divina voluntas non solum est indifferens ad causandum vel non causandum creaturas, sed etiam ad volendum vel nolendum illas causare: Ergo per ordinem ad volitionem vel nolitionem indifferentem, constituitur liberè volens: Sed effectus causati, & actio quâ causantur, non sunt volitio: Ergo non constituitur, etiam inadæquatè, liberum Dei decretum, nec pertinent ad voluntatem beneplaciti, sed tantùm ad voluntatem signi, ut dicemus disputatione sequenti.

Dico quartò: Actum Dei liberum non addere supra necessarium, modum aliquem realem ab illo ratione distinctum, qui poterit Deo deficere quoad suam realitatem modalem. Est contra Fonseca & Salas supra citatos, qui postquam Caietani sententiam (prout ab ipsis intelligitur) ut parùm in fide tutam rejecerunt, in suam inciderunt damnationem, eandem sequentes, mutato solum nomine perfectionis, in nomen realitatis modalis.

Probatur ergo primò conclusio ratione quâ supra rejecimus prædictam Caietani sententiam. Nulla entitas imperfectioni admixta potest in Deo reperiri formaliter: Sed entitas modalis defectibilis, importat imperfectionem: Ergo in Deo admitti non debet. Major constat: Minor probatur. Aliquid posse non esse, maxima imperfectio est, cum sit posse esse nihil, quod est supremus imperfectionis gradus: Sed entitas modalis defectibilis, potest vel non potuit non esse: Ergo maximam imperfectionem importat.

Confirmatur: Entitas quæ taliter est, quòd potuit realiter non esse, non est à se, sed ab alio ut à causa vera & reali: Atqui non esse à se, sed ab alio tanquam à causa vera & reali, maxima imperfectio est: Ergo entitas modalis, quæ taliter est quòd potuit realiter non esse, maximam imperfectionem importat. Minor constat: Esse enim ab alio tanquam à causa vera & reali, importat dependentiam ab illa: Sed omnis dependentia dicit imperfectionem: Ergo non esse à se sed ab alio ut à causa, maxima est imperfectio. Major autem, in qua posita est difficultas, probatur. Deus non aliâ ratione necessario est, nisi quia non habet esse ab alio, sed à se. Attributa etiam & relationes, ideò necessario sunt sine potentia ad non essendum, quia omnia conveniunt in ratione entis à se, per exclusionem causæ. Ergo omnis entitas quæ taliter est, quòd potuit non esse realiter, non est à se per exclusionem causæ, sed ab alio ut à causa vera & reali.

Quod ampliùs urgetur: Attributa namque & relationes, sunt ab alio virtualiter, nempe ab

essentia divina in qua virtualiter radican-  
tur, & consequenter habent virtualiter causam; & ta-  
men quia sunt à se per exclusionem causa cau-  
santis formali influxu, non possunt non esse rea-  
liter: Ergo ut aliquid possit realiter non esse, non  
sufficit esse ab alio virtualiter, sed necessariò re-  
quiritur esse ab alio ut à causa reali, causante per  
influxum formalem.

41. Probatur secundò conclusio ex alio inconve-  
nienti: nam entitas illa modalis, quam illi Au-  
thores volunt actum Dei liberum superaddere  
ad perfectiones necessarias, diceret in essentia di-  
vina imperfectionem potentialitatis; si quidem  
essentia divina se haberet ad illam, sicut potentia  
ad actum, & sicut perfectibile ad perfectivum, &  
cum illa faceret realem compositionem.

42. Dices, talem entitatem modalem non distingui  
ab essentia & voluntate divina, ac proinde non  
facere compositionem cum illa, nec ad eam com-  
parari ut actum ad potentiam, vel ut perfecti-  
vum ad perfectibile.

Sed contra primò: Implicat entitatem moda-  
lem realiter defectibilem, identificari cum re vel  
entitate realiter indefectibili; alioquin eadem en-  
titas simul esset defectibilis & indefectibilis: Sed  
entitas illa modalis est defectibilis, cum potue-  
rit non esse in voluntate divina, ut fatentur Ad-  
versarij, essentia verò & voluntas divina est om-  
nino indefectibilis: Ergo entitas illa modalis non  
potest cum ea realiter identificari.

Secundò, Realis separabilitas est signum evi-  
dens realis distinctionis, cum idem à seipso se-  
parari realiter nequeat, sicut nec à seipso realiter  
produci: unde dicit Aristoteles 7. Topic. cap. 7.  
*Si potest alterum sine altero esse, non erit idem:*  
Ergo si entitas modalis actum liberum consti-  
tuens, fuit realiter separabilis à voluntate divina,  
id est potuit realiter non esse, divinam voluntate  
existente, realiter ab illa distinguitur.

43. Dices, Ad separabilitatem illius entitatis mo-  
dalis à voluntate divina, & entitate increata actus  
necessarij, non requiri distinctionem realem, sed  
sufficere virtuales & eminentialem, fundatam  
in infinitate & eminentia divinæ naturæ, æquiva-  
lenti entitati defectibili & indefectibili. Sicut  
ad salvandum quòd essentia divina sit communi-  
cabilis, non autem paternitas, sufficit distinctio  
virtualis fundata in eminentia ejusdem divinæ na-  
turæ, æquivalentis absoluto & relativo, commu-  
nicabili & incommunicabili.

44. Sed contra primò: Non minus repugnare vi-  
detur, ut idem separaretur à seipso, quam quòd  
idem à seipso procedat: Sed sola distinctio vir-  
tualis non sufficit ad salvandam realem processio-  
nem, ut constat in divinis attributis, quæ licet  
virtualiter ab essentia distinguantur, ab ea tamen  
realiter non procedunt: unde realis personarum  
distinctio, eà solum ratione asstruitur in divinis  
personis, ut salvetur processio unius ab altera:  
Ergo etiam virtualis distinctio non sufficit ad  
salvandam realem separabilitatem.

45. Secundò, Realiter mutabile & realiter immu-  
tabile, causabile & incausabile realiter, non pos-  
sunt ratione solius distinctionis virtualis, in una  
& eadem entitate identificata inveniri: Ergo pa-  
riter sola virtualis distinctio non sufficit, ut in  
una entitate conveniant realiter defectibile & in-  
defectibile.

46. Tertio, Si virtualis distinctio sufficeret ad rea-  
lem separabilitatem, posset etiam sufficere, & se  
extendere ad realem separationem; & sic duo pos-

Tom. I.

sent esse mutuò separata realiter, & tamen non  
esse realiter, sed tantum virtualiter distincta,  
quod est prorsus intelligibile.

Denique, Separabilitas includit distinctio-  
nem, & supra illam addit negationem essentialis  
connexionis: licet enim omnia distincta non sint  
separabilia, ut est certum de fide de personis di-  
vinis, & plures docent de materia & forma, quan-  
titate & figura; omnia tamen separabilia, sunt  
realiter inter se distincta: Ergo implicat actum  
Dei liberum constitui per aliquam entitatem moda-  
lem, realiter defectibilem, & à divina volun-  
tate separabilem, & tamen cum ea realiter iden-  
tificatam, & solà ratione ab illa distinctam. Ex  
quo patet disparitas ad exemplum adductum, com-  
municabilitas enim non importat negationem  
essentialis connexionis cum re incommunicabili,  
bene autem separabilitas. Unde licet eminentia  
divinæ entitatis, fundans distinctionem virtua-  
lem inter essentiam divinam & paternitatem,  
sufficiat ad verificandum, quòd essentia divina  
communicetur Filio, non verò paternitas; non  
tamen sufficit, ut idem à seipso separaretur, aut  
separabile sit.

Tertio principaliter arguitur contra eandem  
sententiam. Modus ille superadditus actui neces-  
sario, & divini decreti constitutus, debet esse  
perfectio: Ergo si ille potuit deficere, & non esse  
in Deo, aliqua perfectio potuit Deo deesse, quod  
tamen Adversarij admittere renuunt, ne inci-  
dant in sententiam quam Caietano attribunt;  
imò reputant absurdum, & fidei partim conso-  
num. Consequentia patet: Antecedens in quo po-  
sita est difficultas probatur, primò quia omnis  
realitas absoluta, sub conceptu entitatis & reali-  
tatis, est formaliter perfectio: Sed entitas ista  
modalis, est entitas absoluta: Ergo est perfectio  
formaliter.

Secundò, Hujusmodi entitas est actualitas vo-  
luntatis divinæ, ut liberæ in actu primo, illam  
in actu secundo liberè volentem constituens:  
Sed actualitas, ut talis, est perfectio formaliter:  
Ergo entitas ista modalis formaliter est per-  
fectio.

Confirmatur, & magis explicatur hæc ratio.  
Entitas illa modalis ponitur in voluntate divina,  
ut Deum constituat in actu secundo liberè volen-  
tem creaturas: Sed Deus constituitur liber in  
actu secundo, & volens creaturas, per aliquam  
actualitatem, scilicet per tendentiam actualem,  
vitalem, & affectivam in illas: Ergo entitas illa  
modalis addit aliquam actualitatem, & conse-  
quenter aliquam perfectionem voluntati divinæ:  
unde si talis modus potuit deficere, seu non esse  
in voluntate divina, manifestum est, aliquam  
perfectionem posse, vel potuisse Deo deesse,  
quod repugnat actui puro, & enti infinite per-  
fecto.

Respondent Adversarij: modalem istam enti-  
tatem, esse quidem perfectionem formaliter,  
non tamen ratione distinctam à perfectione  
actus necessarij; ut plures non improbabiler  
docent de divinis relationibus, quòd nempe ra-  
tione sui dicant perfectionem, non tamen distin-  
ctam in ratione perfectionis, à perfectione ab-  
soluta essentia, etsi in ratione entitatis virtuali-  
ter distinguatur ab illa. Cujus rationem reddit  
Salas sequutus Fonsæm, quia scilicet modus  
iste realis supponit naturam divinam infinite per-  
fectam; & ideo quamvis perfectionem dicat,  
non dicit tamen perfectionem superadditam, &

DDd iij

virtualiter à perfectione actûs necessarij distinctam.

52. Sed contra primò: Atributa divina supponunt naturam divinam, in propria linea naturæ infinitè perfectam; & tamen, hoc non obstante, illi superaddunt aliquam perfectionem, virtualiter & ratione distinctam, ut communiter docent Theologi: Ergo similiter quamvis entitas illa modalis, quæ secundùm Adversarios constituit actum Dei liberum, supponat naturam divinam infinitè perfectam, hoc tamen non impedit, quin ei superaddat aliquam perfectionem virtualiter distinctam.

Secundò, Licet divina essentia supponatur infinitæ entitatis, modus ille realis superaddit entitatem, ratione distinctam ab entitate essentia: Ergo licet supponatur infinitæ perfectionis, superaddet perfectionem ad perfectionem essentia.

Tertiò, Modalis ista entitas superaddit actualitatem, est enim ultima actualitas voluntatis divinæ ut liberæ, sicut entitas actûs necessarij est ultima actualitas voluntatis divinæ sub conceptu naturæ: Sed actualitas idem est quod perfectio, ut antea dicebamus: Ergo superaddit perfectionem.

53. Dices: Origines activæ in personis Sanctissimæ Trinitatis, cum consistant in actione, addunt actualitatem supra lineam absolutam, & tamen, in frequentiori Thomistarum sententia, perfectionem non addunt: Ergo ex eo quod entitas modalis constituens decretum liberum, addat actualitatem supra volitionem necessariam, non sequitur addere perfectionem.

Respondeo primò, negando Antecedens, nam licet origines activæ in actione consistant, non tamen consistunt in actione distincta pro recto ab actibus absolutis, sed in actibus absolutis, connotatis relationibus: unde quamvis sint operationes, non addunt actualitatem supra actus absolutos.

Secundò responderi potest, quod sicut est peculiare in linea relativa, quod entitatem addat, & non addat perfectionem; quia non exprimit ordinem ad existentiam, vel ad subjectum cui convenit, ita est peculiare in hac linea, ut nec tendentia actualis notionalis, intellectiva, aut volitiva, & quæcumque alia actualitas relativa, nullam exprimat vel addat perfectionem ad lineam absolutam.

#### §. IV.

*Ad respectum rationis confugientes impugnantur.*

54. **D**ico quintò: Actum Dei liberum non constitui per respectum rationis ad creaturas.

Probatur: Vel talis respectus sumitur fundamentaliter, vel formaliter: Si primo modo sumatur, restat explicare quodnam sit ejus fundamentum, an sit quid Deo extrinsecum vel intrinsecum, creatum vel increatum, defectibile vel indefectibile &c. Et sic recurrunt omnes difficultates propositæ. Si verò secundum dicatur, in contrarium militant plura & efficacia argumenta.

In primis enim decretum Dei liberum, est quid reale & non fictum, & vera ac realis causa creaturarum: Ergo non potest constitui per aliquam formam rationis, ab intellectu confictam, & à parte rei non existentem.

A Secundò, Ab æterno Deus dicitur liberè volens creaturas, & tamen ab æterno non est respectus rationis in Deo, cum intellectus creatus sit in tempore, & increatus non formet entia rationis, ut suppono ex Logica, & constat ex dictis Tractatu præcedenti. 55.  
Disp. 7.  
art. 2.  
56.

Tertiò, Dato quod intellectus divinus formaret entia rationis, non tamen fabricare posset respectum constituentem liberum Dei decretum: vel enim illum fabricaret per actum liberum, vel per necessarium: Non secundum, alias respectus ille esset necessarius Deo, & consequenter decretum non esset liberum: Non primum, nam omnis actus liber intellectus divini, decretum liberum voluntatis constitutum supponit; cum libertas intellectus, ex libertate voluntatis oriatur: Ergo &c.

B Quartò, Voluntas non redditur liberè volens per intellectum, vel effectum illius, sed per aliquid ab ipsa procedens: Sed respectus rationis ad creaturam, à voluntate divina formari nequit: Ergo nec actus liber Dei per illum constitui. 57.

Quintò, adversus hanc sententiam militat hoc argumentum, quod proponit Basilius Legionensis loco supra citato, & cujus solutionem se nunquam vidisse vel audivisse testatur. Deus in re est actu volens: Ergo in re est omne necessarium ut actu sit volens: At respectus rationis non existit formaliter in re: Ergo non est necessarius, ut Deus sit volens actu. 58.

Denique, Scriptura variis in locis asserit, liberà Dei voluntate omnia constitui & mutari, ac totam vim providentiæ & rerum universi seriem docet pendere à liberis Dei decretis; & SS. Patres, præsertim Augustinus & Thomas, Tract. præcedenti citati, affirmant Deum in suis decretis futura contingentia cognoscere: Ergo absurdum videtur, talia decreta, in mera entia rationis resolvere. 59.  
Disp. 4.  
art. 4.

#### §. V.

*Vera sententia statuitur, & explicatur.*

**L**icet in hac materia difficile non sit aliorum sententias impugnare, & ostendere quid non sit liberum Dei decretum, veram tamen proferre & explicare sententiam, & declarare in quo consistat libera Dei volitio, & quid ad perfectiones Dei necessarias superaddat, difficillimum, & ferè impossibile Theologis semper visum est. Ut tamen aliquo modo hoc sacratissimum ænigma possit intelligi, & perfecta Dei libertas, cum ejus immutabilitate conciliari; antequam nostram sententiam declarem, breviter hinc resumenda sunt ea quæ §. præcedentibus fusè ostendimus & exposuimus. 60.

E Constat ergo primò ex dictis supra, actum Dei liberum non superaddere ad perfectiones necessarias, perfectionem aut quantitatem ratione ab illis distinctam; quia de ratione formæ constituentis liberum Dei decretum, est quod potuerit deficere, seu non esse in Deo; nempe si nolisset quod voluit, aut voluisset quod noluit, aut à volitione vel nolitione libera suspensus mansisset, quod esse possibile ostendemus art. sequenti: nulla autem perfectio, vel entitas potuit Deo deficere; alioquin Deus potuisset mutari, ut ostendimus: Ergo actus liber Dei non constituitur per aliquam perfectionem aut entitatē, ad perfectiones necessarias Dei superadditā. 61.